


Disputatio VI. De peccato
originali; actuali; ejvs
causis; et peccato in
Sp...

Mancelius, Georg,

11 Ba Mancelius





Disputatio VI.

DE PECCATO ORIGINALI; ACTUALI; EJVS

Causis; & Peccato in Spiritum Sanctum.

Respondente MATTHIA MATTHIÆ,
Wiburg.

a. d. 17. Junii.

THESIS I.



Mne peccatum *aut* Originale
aut Actuale esse nemini non
constat.

II.

Etsi verò saniores quoq;
Ethnici *αὐτοὶ* in homine haut obscure
animadverterunt; unde tamen illa suam
originem trahat, id ipsis planè incogni-
tum fuit.

III.

Nobis autem ex sacris constat literis,
eam ex Protoplastis, in Paradisò adhuc
existentibus, ortum suum habere, *Gen. 2.*

& 3.

IV.

Per transgressionem enim Legis de ve-

titâ arbore, non modò justitia Originalis concreata amissa est: sed protinus horribilis humanæ Naturæ successit deformatio, & corruptio, *Rom. 5. v. 12.* quæ *peccatum Originis* dicitur.

V.

Id quidem in Protoplastis per actuale peccatum initium habuit: in nos verò mediante carnali generatione, *Gen. 5. v. 3. Ps. 52. v. 7.* ab Adamò propagatur, tanquam fons & origo actualium.

VI.

Ex quibus colligimus, peccatum originis esse depravationem totius naturæ hominis (quoad substantiam quidem permanentis) horribilem, quæ instar veneni lethiferi sese in universam hominis substantiam diffuderit, & per generationem carnalem ad posteros propagetur, ob quam vel solam homo iræ Dei fiat obnoxius, ac promereatur æternum ignem.

VII.

Actuale peccatum inde nomen accepit, quia de potentiâ in actum producitur, & ab hominibus perpetratur.

VIII.

Est autem *Actuale peccatum* omnis actio pugnans cum lege DEI, sive dictis & factis

factis fiat, sive cogitationibus, sive concupiscentiis committatur.

IX.

Dividitur autem peccatum actuale diversimodè, secundum aliam atq; aliam considerationem & respectum.

X.

Aliud dicitur mortale, aliud veniale: aliud regnans, aliud non regnans; aliud externum, aliud internum: aliud commissionis, aliud omissionis: aliud voluntarium, aliud involuntarium: aliud alienum, aliud proprium.

XI.

Horum causa non est DEus, ipsa quippe bonitas, justitia, & purissimus actus, omnis contradictionis expers: unde in Scripturâ protestatur, se peccatum nec velle, nec præcipere, nec juvare, multò minùs homines ad ea vel destinare, vel occultè impellere: sed prohibere potius, odisse, & severissimè punire, Ps. 5. v. 5.

XII.

Verùm Satan est causâ Peccati, non tantùm quia ab initiò mendax, & Veritas in eò non est; sed quia etiam pater mendacii, excitans & movens homines ad peccandum, Job. 8. v. 44.

72.
Huic accedit homo, tanquam propin-
qua causa, quem Satan obluentem non,
quasi obtorto collò præcipitat in scelera:
sed voluntas hominis præstigiis Satanae
fascinata, præbet se ad ipsius ductus ob-
sequentem,

XIV.

Quamvis verò omnia peccata suã natu-
rã & per se sint mortalia: non omnia ta-
men sunt paria, sed aliud aliò gravius.

XV.

Inter omnia tamen peccata actualia,
illud, quod in Spiritum Sanctum commit-
titur, est gravissimum: Unde κατ' ἐξοχὴν
peccatum mortale dicitur, 1. 1ob. 5. v. 16.

XVI.

Est autem peccatum in Spiritum Sanctum,
quando quis Verbum & opera Dei audi-
ens, agnoscens, & in Conscientiã Verita-
tis convictus, ex nullã infirmitate, peri-
culo aut seductione, sed petulantèr & sci-
entèr vel Veritati, contradicit, vel con-
fessionem abnegat, odit, blasphematur, & ali-
quoties etiam admonitus persequitur.

XVII.

Dicitur id irremissibile, Matth. 12. v. 31.
non quòd tanta sit ejus gravitas, ut meri-
tum & satisfactionem Christi superet: sed
quia organa Spiritus Sancti, quibus offer-
tur

33.

tur Remissio peccatorum, directè rejicit,
& adjunctam obdurationem habet.

XIX.
Hujus duæ sunt species: Prior, quan-
do veritas quidem auditur, & noscitur,
sed non recipitur, exemplò Pharisæorum:
Posterior, quâ veritas agnita & recepta
defectione abnegatur, & blasphemis ac
persecutionibus petulantè & malitiosè
petitur. Hujus exemplum est Julianus
Apostata.

XIX.
De hoc peccato non est facilè pronun-
ciandum, in individuò, nisi evidentissima
signa appareant: sæpè enim videntur no-
bis quidam in Spiritum Sanctum peccare,
quorum tamen conscientia & animus no-
bis est incognitus.

XX.

Pro his qui in Spiritum Sanctum pec-
cant, non vult D. Johannes 1. Joh. 5. v. 16.
ut oremus: si nimirum nobis certò de ta-
libus constat.

Corollar. I.

Justitia originalis fuit totius humanæ na-
turæ integritas, & peccatum originis
est ejusdem penitissima atq; intrinseca,
non nuda doni extrinseci corruptio.

C s

Hoc

Hoc ipsum vult Ecclesia orthodoxa, quando ex D. Lutherò *super 3. cap. Gen.* contra Scholasticos PECCATUM ESSE DE ESSENTIA HOMINIS statuente, cum Lazarò Spengler. canit: **Durch Adams Fall ist ganz verderbt Menschlich Natur vnd WESSEN:** vel cum M. Wolfgang Ammonio:

Corrupta vi lapsus Adæ

Humana tota massa.

Vel cum

SVECIS: Af Adams Fall är plät fördärffuät / Mennisklig Natur och Sinna.

II.

Inde verò Flacianismum nobis Bellarminus nondum adfuer.



Dispu-